



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Baldvino Archidiacono Thessalonicensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

nuisse poterat iudex tertius ut decisioni negotij interesset in executionis mandati apostolici præjudicium & tam grave ipsius monasterij detrimentum, cum res videlicet talis esset cujus dilatio ipsum monasterium in confusionem maximam adducebat, quod iidem procuratores ratione multiplici ostendere nitentur, asserentes quod & hoc ipsum fuerat præsentis Capituli à quibusdam fratribus senioris consilij coram dictis iudicibus propositum & petum, ne ab eis decisio causæ ac ordinatio monasterij differretur, sed secundum quod eis erat injunctum, reformationi dicti monasterij celerius providerent. Vnde ipsos asserere non tam voluntarios quam coactos ad supplicationem Capituli processisse. Nos igitur his & aliis quæ nobis fideliter relata fuerant ab eisdem Cardinalibus intellectis, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus ceteris capitulis quæ in sententia iudicum continentur in suo robore duraturis, summam & sine omni iudiciorum strepitu inquirentes de electione sollicitè veritatem, si eam inveneritis canonicè de persona idonea celebratam, non obstantibus his quæ sæpè dicti monachi opponebant, ipsam sublato cujuscumque contradictionis & appellationis obstaculo confirmetis. Alioquin de alia persona idonea & honesta eidem monasterio faciatis auctoritate apostolica infra quadraginta dies per electionem canonicam provideri, mandatum apostolicum taliter impleturi quod in novissimo districti examinis die dignam retributori omnium super hoc possitis reddere rationem. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani xii. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PHILIPPENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 50. De revocandis locutionibus.
Proposivisti nobis in nostra præsentia constitutus quod nonnullæ possessiones & alia bona Ecclesiæ tuæ per prædecessores tuos & alios minus legitime sunt distracta in ipsius Ecclesiæ non modicum detrimentum. Volentes igitur Ecclesiæ Philippensis utilitatibus providere, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus quatinus ea quæ taliter alienata repereris valeas appellatione postposita legitime revocare. Datum Laterani xv. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

In eundem modum scriptum est pro Archiepiscopo Serrensi.

Tom. II.

BALDVINO ARCHIDIACONO
Thessalonicensi.

Cum à nobis petitur &c. usque perducatur effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iustis precibus inclinasti, archidiaconatum Thessalonicensis Ecclesiæ, sicut ipsum iuste possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani xv. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Epist. 51. Et confirmat archidiaconatum.

RADVLPHO THESAVRARIO
Citrensi.

Iustis petentium desideriis &c. usque effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iustis postulationibus inclinasti, thesaurariam Citrensis Ecclesiæ, sicut ipsam iuste possides & quietè, devotioni tuæ auctoritate apostolica &c. usque incursum. Datum Laterani xv. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Epist. 52. Et confirmat thesaurariam.

ARCHIEPISCOPO THEBANO,
 & Davaliensi Episcopo, & Decano
Davaliensi.

Ex parte venerabilis fratris nostri Corinthiensis Archiepiscopi fuit propositum coram nobis quod Abbates Græci Corinthiensis diocesis debitam sibi obedientiam & reverentiam, superbiæ accensu spiritu, non impendunt. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus Abbates jam dictos ut ipsi Archiepiscopo reverentiam & obedientiam debitam impendere non postponant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compellatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani xii. Kal. Iunij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Epist. 53. Ut Abbates Græci obediant Archiepiscopo Corinthienſi.

CLERO ET POPULO
Nazarocensi.

Cum episcopatus vester sit pastoralis sollicitudine destitutus, eum venerabili fratri nostro Sidoniensi Episcopo duximus committendum, injungentes eidem ut ea quæ spectant ad curam officij pastoralis vobis vigilanter studeat exhibere. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus ei sicut Prælato vestro intendatis humiliter & devotè. Alioquin noveritis nos venerabilibus

Epist. 54. Ut obediant Episcopo Sidoniensi.